

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romæ, 1925**

De Sancta Natalena Virgine In Aquitania Commentarius Praevius

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](#)

*in flumen* μηδὲ μετὰ τὴν τελευτὴν τῆς ἀπόπον λόττης λή-  
*projectae* ξας τῆς κατὰ τὸ γενναιοτάτον μάρτυρος Ὀρέσ-  
 τον, προστάττει ὁμήρου τὸ πολύθλον λείφαντον  
 αὐτὸν ἐν τῷ βιβλῷ Φίβων (1) τοῦ παραδέσιον τοῦ  
 ποταμοῦ καταγινόντος τοῦ δρόνος· διπερ ἐπὸ τῶν  
 παρανεγόντων πιστῶν ἑβελήνη προφανῶς χεροὶν  
 ἀνδρὸς λαμπροφοροῦντος ἀνακομιζόμενον ἐντί-  
 μος ἐν τῶν ποταμῶν δενδράτων καὶ κατατιθέ-  
*colliguntur.* μενον ἐν τῷ παρακειμένῳ δροὶ τῇ τῶν Τυνεών  
 μητροπόλει, ἐν δὲ τόπῳ παμπληθεῖς ἴσσεις ἐπι-  
 τελοῦνται μέχρι τῆς σήμερος ἡμέρας· οὐ μὴ  
 ἄλλα καὶ μέχρι τῆς συντελείας τοῦ αἰώνος οὐδέ-  
 1 Reg. 2, ποτε τελοῦμεναι λήξονται. Ἀφενδής γάρ ὅντως  
 30. ἐστιν ὁ εἰπών· ὅτι τοὺς δοξάζοντάς με δοξάσω,

οῦδε ἀληθῶς δοξάζει καὶ μεγαλύνει Χριστὸς ἡ **PASSIO II**  
 ἀληθεία· ἐνταῦθα μὲν ἀμυδρότερον, εἰ καὶ  
 μεγάλοις σημείοις τούτους λαμπρόντει καὶ τέ-  
 φασιν, ἔκειθεν δὲ<sup>1</sup> λαμπρότερον τε καὶ ὑψηλότε-  
 ρον ἀναδέξειν ὡς φαεινὸς φωτῆρας ἐπέρι  
 τὸν ἥλιον λάμποντας· μεθ' ὧν καὶ ἡμεῖς ἀξιο-  
 θείμενοι μετασχεῖν τῆς θείας ἐλλάμψεως, λι-  
 ταῖς αὐτὸν εὐπροσδέκτοις συγκροτούμενοι καὶ  
 συμπαθεῖς τῶν ἐπταισμένων καταξιούμενοι ἐν  
 Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ θεόντοι πάντας ἀνθρώπους  
 σωθῆνται καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἐθένται ἀληθείας, 1 Tim. 2, 4.  
 διτι αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τὸν αἰώνας  
 τῶν αἰώνων· ἀμήν.

13.—<sup>1</sup> τε M.

(1) Supra, p. 395, annot. 1.

B

## DE SANCTA NATALENA

E

TEMPORE  
INCERTO

VIRGINE IN AQUITANIA

H. D.

## COMMENTARIUS PRAEVIOUS

S. Nata-  
lenae  
cultus  
in Gallia.

C

Historia  
in breviario  
Appamien-  
si;

- Parantibus nobis diem 5 novembris occurrit S. Natalena quae in nonnullis Galliae ecclesiis, ut in Brivatensi (1), hoc die recolletur; eius autem Acta seposuimus in diem 10 novembris, qui eius festo in dioecesi Appamiensi (Pamiers), e qua ortum ducere illa ferebatur, olim sacer erat (2). Postea tamen, id est iam saec. XVIII exequente, sollemnitas illa translate est in diem 12, recentissime in diem 16 (3). In ecclesia Sarlensi die 13 S. Natalenae festum agebatur (4). Saec. XIV proprium Appamiae habebat ecclesiam (5), quae procul dubio antiquior erat, et saec. XVI destruta est, in via quae etiamnum Sant Aleno a Santa Lena vulgo dicitur (6). Et haec quidem de veneratione S. Natalenae Appamiae et variis in locis vera sunt et certa.
- Non quidem incerta sed certo falsa quae de eius historia tradita sunt, et quae hisce breviarii Appamiensis lectionibus comprehenduntur. LEC-  
 TTO IV. Sanctae virginis et martyris Natalenae memoria, a temporibus iam remotissimis, in ter-

ritorio Appamiensi celebratur. Nobilissimo patre, cui vulgaris Fredelaci regis appellatio, orta est. Cum, post multas filias, masculus in votis esset, nascenti Natalenae sexus iam fuit in opprobrium: quare iussa est in flumen suffocanda praecipitari. Misera famula ad ripam tantum deposita: quam christiana mulier suscepit et fovit et proprio lacte enutravit et docuit in fide Dei vivi et veri, ut contigit in Egypto Moysi. Adolescens caritatis operibus puella vacabat, cum iratus pater, etiamsi cognovisset suam esse natam, iussit eam decollari. Gloriosam virgo mortem accepit cum palma triumphi, in orientali sub-  
 urbio prope fontem qui eius nomine designatur et inde virtutem habet curativam.

LECTO V. Sicut beatus Areopagita, Natalena propria manibus truncatum caput sustulit et, angelo comitante, per eas semitas incedens quae martyris nomen retinens, ad hunc locum per-  
 venit ubi nunc exsurgit ecclesia beatæ Mariae de Campo. Sanguine futurum templum signans,

(1) *Act. SS.*, Nov. t. III, p. 4; *Breviarium Brivatense* (Claramont, 1654), pars aestivalis, p. 858. — (2) LABIOS, *Vie de sainte Natalène vierge et martyre* (Pamiers, 1872), p. 106. — (3) *Kalendarium perpetuum ad usum dioecesis Appamiensis, Conseranensis et Mirapicensis a S. R. C. revisum et approbatum die 12 maii 1914*, in *Officia propria dioec. Appamiensis*. — (4) *Proprium Sanctorum ecclesiae et dioecesis Sarlensis* (Paris, 1677), p. 215. — (5) *Confessio Arnaldi Egidi* [Jan. 1320], ed. J. M. VIDAL, in *Annales de Saint-Louis-des-Français*, t. III (1898), p. 316. — (6) R. D. P. Robert, canonicus Appamiensis, qui et alii plurima notata digna nobiscum perhumaniter communicavit, nuper haec nobis scripsit: « M. Jules Lahondès, très compétent en archéologie Appaméenne, consulté sur l'existence et l'em-

placement de cette église dédiée à Sainte Natalène avant le XIII<sup>e</sup> siècle, répond: Quant à la chapelle de sainte Natalène que le peuple appelaient par abréviation sainte Léne, elle était placée dans la rue qui porta son nom dans tout le moyen âge et qui le porte encore malgré sa déformation en Sainte Hélène. Corriera Santa Lena, porta Santa Lena se retrouvent sans cesse dans les délibérations du Conseil de la ville. Je ne saurai dire quelle était la place précise de cette chapelle dans la rue, car chapelle et hospice disparurent au XVI<sup>e</sup> siècle et il n'en reste plus trace. » Addit R. D. Robert: « A remarquer que le peuple ne dit pas *Sainte Hélène* comme il devrait dire s'il s'agissait de la mère de Constantin, mais *Saint Aleno*, corruption de *Santa Lena*. »

sepelienda

AUCTORE  
H. D.

sepienda occubuit. Ibi servatae sunt sacrae virginis exuviae usque ad lugendum illud tempus quo, ne ab haereticis dissiperentur, necesse fuit illas asportare procul. In monasterio monialium Sancti Benedicti Blesili (1), quod est in finibus Sancti Flori dioecesis, reconditae erant cum, anno millesimo sexcentesimo trigesimo septimo, Carolus de Noailles, huius dioecesis episcopus, seposuit ossa duo Appamias mittenda et in oratorio collegii Societatis Iesu reponenda. Cuius post dissolutionem Societatis, praedictae reliquiae in ecclesia beatae Mariae de Campo, tamquam in propriis aedibus receptae sunt et ibi venerantur (2).

officium  
incertae  
aetatis;

3. Qua aetate quibusve auctoribus haec confi-  
sint plane ignoramus. Nullum huius fabellae  
antiquius testimonium habemus officio S. Natha-  
lenae quod anno 1664 Henschenio nostro missum  
est a D. A. Girard, canonico Sarlatensi, quodque  
servatur in collectaneis nostris, nunc codice bibli-  
othecae Regiae Bruxellensis 8933-34, fol. 45-63 :  
B Officium S. Nathalenae quod celebratur die 5  
mensis novembri et eius inventio die 19 eiusdem  
mensis. Ad calcem haec addidit D. Papebrochius :  
D. Armand Girard scribit se accepisse de abba-  
tia Blasiliensi seminarum Ord. S. Benedicti de  
Blesle, dioec. S. Flori. Voyer la vie de cette  
sainte dans les Vies des SS. d'Auvergne pag.  
639. Liber ille tunc recens editus erat a Iacobo  
Branche (3). Erit nobis haec lucubratio in antiphon-  
as, lectiones et responsoria divisa pro S. Natha-  
lenae legenda antiquiore, incertae tamen aetatis,  
quae quidem non integra assumpta est, sed quatenus  
satis esse videbatur non ad sanctae notitiam  
sed ad explanationem officii, ut de aliis similibus a  
nostris iam notatum est (4). Nobis etiam visum  
est ea rescare que nihil omnino ad historiam  
S. Nathalenae recolendam conferunt, ut sunt pri-  
mae vespere cum hymno (5), invitatorium, oratio.  
Officium inventionis seu translationis (fol. 59-  
65) omittimus, quippe quod locis sacrae Scripturae  
varie consarcinatis totum absolvatur.

C (1) Blesle (Haute-Loire). De abbatia Sancti  
Petri de Blasilia, *Gallia Christiana*, t. II, p.  
449. — (2) *Officia propria dioecesis Appamien-  
sis, Conseranensis et Mirapicensis...* de man-  
dato illustrissimi ac reverendissimi Martini Hiero-  
nymi Izart (Turonibus, s. a.). Pars autun-  
nalis, ad d. 16 nov. — (3) *La vie des saints et  
saintes d'Auvergne et de Velay*. Au Puy, 1652,  
in-8°, 1002 pp. — (4) *Act. SS.*, Mai t. VII,  
p. 800. — (5) *Hymnus Benigna nobis hodie*  
alias canitur de sancto Sacerdote. CHEVALIER,  
*Repert. hymnol.*, 2463. — (6) Cf. *Act. SS.*, Iul. t. II,  
p. 13; Sept. t. I, p. 349; DE VIC et VAISSETTE,  
*Histoire du Languedoc*, t. II (Toulouse, 1875),  
p. 61-62. — (7) *Gallia Christiana*, t. XIII,

4. *De primordiis cultus S. Natalenae redditum* reliquiae...  
prorsus silent monumenta, nec placet conjectura  
eorum quibus visum est S. Natalenam seu Nataliam  
martyrem, Apamiae in Syria passam, in Oc-  
citaniam delatam esse a Rogerio comite Fuxen-  
si (6). *De Natalia enim martyre Syria nemo un-  
quias audivit. Reliquias Appamienses «S. Nataliae*  
virginis et martyris ab haereticis igne crematas»  
sac. XVI referunt auctores Galliae Christia-  
nae (7). Natalenam procul dubio intellegunt.  
Nihilominus saeculo sequenti S. Natalenae cor-  
pus in sua ecclesia «ab immemoriali» requiescere  
gloriantur monachae Blesilienses (8), eiusque  
translationis memoriam quotannis agebant die  
19 novemboris (9). A duabus adolescentibus sa-  
crum corpus Appamia devectum esse, Blesiliæ au-  
tem depositum, vi occulta eodem alio progreli  
prohibente (10), narratricula est haud dudum ex-  
coigitata quae vulgatissimam redoleat fabulum. *De*  
reliquis inde anno 1637 Appamiam relatis habe-  
mus litteras C. de Noailles, episcopi Sancti  
Florentii : In visitatione Blesiliensi ecclesiae  
Sancti Petri, de theca in qua reliquiae sanctae  
Natalenae religiose servantur ac eximia populi  
devotione coluntur, seposui ossa duo Apamiarum  
(sic) mittenda ac in oratorio Collegii Societatis  
Iesu reponenda, ut ibi sanctae virginis immortalis  
memoria pie celebretur, unde creditur sum-  
pissime prima vitae mortalis exordia. In cuius rei  
fidei hoc diploma propria manu subscripsi ac  
sigillo meo ac secretarii mei scripto munitum esse  
volui. Die xviii septembribus 1637. + C. de Noailles,  
episcopus Sancti Florentii. De mandato praefati  
illustrissimi ac reverendissimi D. D. mei  
episcopi, Beraut. C. (11). *Suppressa Societate*  
*Iesu, reliquiae S. Natalenae in ecclesia Ordinis*  
*S. Augustini* (12) *depositae sunt, et deinde in*  
*sacello prope ecclesiam Sanctae Mariae de Cam-*  
*po* (13). *De reliquiis in ecclesia civitati Sarlatensi*  
*vicina servatis solius Castellani testimonium habe-*  
*mus* (14). *Reliquiae autem Blesilienses sace.* XVIII  
ineunte perierunt.

p. 153. — (8) BRANCHE, *La vie des saints et* F  
*saintes d'Auvergne*, p. 639. Saeculo X reliquias  
Blesiliæ allatas fuisse assertit TEILHARD, *His-  
toire d'Auvergne*, p. 492 : « Les reliques de sainte  
Natalène, vierge et martyre de Pamiers, en la  
comté de Foix, reposent dans l'abbaye de Blesle,  
où elles furent portées dans le commencement  
du dixième siècle par deux écoliers. » Ita cod.  
bibliothecae Claromontanae 700. *Catalogue gé-  
néral des manuscrits des bibliothèques publiques*,  
t. XIV, p. 183. — (9) Supra, num. 3. —  
(10) BRANCHE, t. c., p. 639. — (11) LABIOS, *Vie*  
*de sainte Natalène*, p. 111. — (12) In loco dicto  
Loumet. — (13) LABIOS, t. c., p. 97. — (14) *Mar-  
tyrologe universel*, p. 562.

## OFFICIUM S. NATALENAE

E codice bibliothecae Regiae Bruxellensis 8933-34. Cf. Comm. praev. num. 3.

< Ad Matutinum. In primo nocturno. >

Antiphona-

ANA. Sacratissima virgo Nathalena in sentibus  
gentium orta, Apamiae civitatis nobilissimae ex-  
stilit oriunda.

ANA. Cuius cunabula valens flamma divinitus

decoravit, adveniensque in eam sanctae Trini-  
tatis cultum suo splendore praesignavit.

ANA. Virgo venerabilis splendidissime procrea-  
ta eniuit sed genitoris feritate necari fluminibus  
constituta fuit.

ANA. Crudelitate igitur patris virgo Deo devota  
lymphis.

A lymphis encanda constituitur. Sed, interveniente beato Martino, a mortis periculo absoluvi meretur.

ANA. Ereptam denique ab extrema necis voragine puellulam idem beatus antistes Christo mancipavit sub regulari sanctimoniam.

ANA. Crevit sancta, ut rosula calamis cathegorans Christum ipsumque in capite sumpsit quem in pectore fatebatur.

*Lectiones.*

LECTIO I. Temporibus priscis cum saevitia tyrannorum ubique diffusa principatum super omnia regna teneret, abiecoque creatoris Dei cultu idolatriae summo opere necaret, exstitit quidam gentilis Apamiae, ut fama refertur, sceptra regens, omnem regionem illam suo imperio premens.

R. Venerabilis virgo Nathalena a stirpe gentium nobiliter fuit exorta. \* Superne indolis generositate nobilis vixit subnixa. V. Quae gemino vigore refulgens divina sibi providente clementia — Supernae.

B LECTIO II. Erant autem illi plurimae filiae, *<nulla>* mascula ex coniuge *<suscepta prole>*, quea post eius excessum in regno suo posset succedere.

R. Sancta vero venerabilis virgo Nathalena compertis summi regis magnaliis a mundanis iurgiis permansit intacta \* Atque ab humanae concupiscentiae illecebris semota. V. Nam ut Deum ubique <sup>1</sup> serviens videretur, egenitum inopiam prout poterat resolvebat. — Atque.

LECTIO III. Unde graviter turbatus sacro <sup>2</sup> suae religionis iuriurando protestatur, nullam exhinc nascituram sibi filiam, quea vastis gurgitis fluminis non obruarat.

R. Haec est virgo gloria quam Dominus de crudeli necatione interfectione erexit salutari lavacro suo decoravit \* Sua mirabilis potentia. V. Quam Spiritus sanctus radio suae lucis inter cunas tertio irradiatam in sanctas Trinitatis titulo praesignavit innovandam. — Sua.

LECTIO IV. Aderat namque tunc temporis mulier illius foetu gravidata, cuius partum in foemineo sexu oriturum aquis enecari tyrrannus praeceperat.

R. Ingressa beata virgine nequissimum quodam castrum praeses quidam, saevissimo stimulante spiritu, \* Sacrae virginis in visu accensus est. V. Servos quippe suos postulavit accersire eam suumque cubile introducere, quia irremediabiliter — Sacrae. Gloria. — Sacrae.

*In 2<sup>o</sup> nocturno.*

*Antiphona.* ANA. Satagens Christo virgo venerabilis fideliter sancto adhaesit Martino dicens quia litteras (?) processit ab eo.

ANA. A contagio vitam duxit intactam dominoque suo inviolabilis perstigit reservata.

ANA. Innocens virgo dominum Iesum Christum pro nobis exora, ut tuo adiuti auxilio valeamus perpetua morte care.

ANA. Ingredientem castrum puellulam sacram statim praeses suis tradi cubilibus iubet absque dilatione.

<sup>1</sup> ibique cod. — <sup>2</sup> sacra cod. — <sup>3</sup> solutum cod. — <sup>4</sup> consstenatae prius obstenatae cod. — <sup>5</sup> ut cod. Novembris Tomus IV.

ANA. Interrogavit praeses sanctam virginem *OFFICIUM* Nathalenam: « Virginitatis pudor si perfectus in te fuerit, *<in>* meis cubilibus permanebit felix. »

ANA. Gaudebat sancta se tormenta pati pronome Christi atque in eius amore mori parata est.

LECTIO V. Peperit ergo die statuta et nihil aliud praeter solitum <sup>3</sup> ex utero suo recepit nimio merore confecta; quid inde agat qualive modo hunc partum domino suo celet penitus ignorat.

R. Dum venerabilis virgo ante praesidis sistetur tribunal nequiter sic ei inquit: \* « Si talibus ut asseris exorta essem natalibus meo connubio non designareris frui amore gratuito. » V. Infelix porro praeses sacratissimae virginis sic affatus est: — Si talibus.

LECTIO VI. Cum igitur apud se hoc et illuc mentis sententiam volvens tractare ex hoc coepisset, ecce subito super ipsa cunabula vagientis infantulæ splendor caelitus allabitur, terque repetito fulgore totum cubile irradiavit in modum adorandæ crucis divinitus emissa lux.

R. Regrediensque dirus praeses a regali aula inventi fugientem beatam virginem; quam cum interrogaret quamobrem fugam peteret et illa eius verba flocci ferret, illico gladio evaginato caput eius abscidit. \* Et sic gloria virgo ad caelos ovanter concendit. V. Gaudent namque caelestium chorū virtutum quia devicto tyranne imperio caelesti sposno sacra maluit copulari. — Et.

LECTIO VII. Ex quo signo mirabiliter acto mentibus consternatae <sup>4</sup> obstetrices que ibidem aderant fatali nomen caelitus inspiratum acclamant remque inauditam super huius puellulæ ortum illuxisse astupent intra cordis penetralia.

R. Beata Christi Nathalena cum absciso capite exanimis iaceret, surgens concita proprium caput in manibus suscepit \* Ac in loco ubi nunc colitur cum eo pervenit. V. Irruente divino flame, virgo beata animata est sacrisque manibus iam coronatum caput suscepit. — Ac in loco.

LECTIO VIII. Quarum aliae domum Dei ignavia mentis parvi pendentes, ludificationem potius falsae imaginacionis fuisse decertant quam summi regis mirificam in omnibus operibus suis potentiam.

R. Concede nobis quaeasumus Domine, veniam delictorum et <sup>5</sup> intercedente beata Nathalena, cuius hodie solemnia celebamus, \* Talem nobis tribue devotionem ut ad eius pervenire mereamur societatem. V. Adiuvent nos eius merita quos propria impudentia sclera; qui ei tribuisti caelestis palmarum triumphi nobis veniam non deneges peccati. — Talem nobis. Gloria. — Talem.

*<In tertio nocturno.>*

Dum astabat Nathalena sancta in prospectu praesidis suggestore divino spiritu sic affata respondit: « Putasne, nequissime praeses, magis tibi turpiter velle me adhiberi quam Christo domino

*Antiphona.*

**OFFICIIUM** incontaminato corpore copulari, cui semper famulari studui?

**Lectiones.** LECTIO IX. Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum caelorum decem virginibus quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsae et reliqua. Audiens autem tyrannus ex mulieris sue conceptione se recepisse foeminei<sup>1</sup> sexus sobolem (erat<sup>2</sup> enim iam novem filiarum pater) in gurgitis vertiginem religato ad collum saxo iussit demergi.

R. Sancta Dei martyr et virgo, quae pro Christi nomine sitiens epotasti verba ecclesiastici dogmatis, audi preces supplicantium tibi, \* Ut carmen nostri cantici feras ante thronum aeterni iudicis. V. Inclita martyr, adesto nostris precaminibus nosque tribue valere cum sanctis omnibus. — Ut.

LECTIO X. Sicque una pedissequarum in latibulo manicae suae infantulam recondens ad ripam usque fluminis quod<sup>3</sup> ad radicem praedictae Apamiae fluit concite pervenit.

R. Adest nempe dies sacra in qua martyr Nathalena in aethera triumphavit. \* Cuius petimus suffragia ut det nobis sanctorum perfrui consortio. V. Annuat Christus in nobis veniam delictorum interventu huius virginis. — Cuius.

LECTIO XI. Traditur autem tunc illa die per eundem locum sanctissimum Martinum Turonorum episcopum iter facere atque illam pedisse quam obviam habuisse.

R. Gloriosa martyr virgo Nathalena, pro nostra Christum exora pace, quae hodie triumpho caelesti erecta es Olympo. \* Intercede pro omni populo tibi nunc poscenti corde devoto. V. Adesto quoque, martyr sancta, precibus nostris,

quae polles in contuberniis exultantium virginum laetis. — Intercede pro.

LECTIO XII. Subsistens ergo paulisper vidit illam absconso manicae infantulam exponere, collu quo immane saxum adnecere. Inde se proprii faciens cur undis obruere vellet puerulam coepit indagare.

R. Hodie virgo venerabilis, devicto tyranno noxio, cum certaminis corona ad polos triunphans ascendit; nam glorioso funere Domino oblata est. \* Vivit cum quo et regnat in saeculorum saecula. Amen. V. Cuius invari intercessiobus devota mente poscimus; impetrat nobis veniam quae cum Domino possidet palmarum. — Vivit cum quo. Gloria Patri. — Vivit.

#### Ad Laudes.

ANA. Cum venerabilis Dei cultrix capite truncato iaceret, corpus quevit cum eo. Antiphona.

ANA. Quo in locello sacrum caput cecidit, fons magnus mirabiliter emanare coepit.

ANA. Ad quem venientes turbae morborum contagii lotae curabantur. E

ANA. Surgens sacra martyr caput in manibus suscepit ac in loco ubi nunc colitur illico deportavit.

ANA. Ingressa sacra <martyr> speluncam cum pace feliciter in Domino obdormivit.

#### Ad Vesperas.

ANA. O quam est admirabilis virgo cuius sollemnitatem colimus, quam Christus ab ipsis cunabulis elegit. O quam veneranda fuit quae nusquam prodigio vacare<sup>4</sup> destitit. O quam innocens permansit quae huius cosmi piacula sprexit, non violata sed vere intacta Deo adhaesit.

<sup>1</sup> foemini cod. — <sup>2</sup> aderat cod. — <sup>3</sup> quo cod. — <sup>4</sup> dominum cod. — <sup>5</sup> vacari cod.

## C DE SS. TIBERIO, MODESTO ET FLORENTIA F

TEMPORE  
INCERTO

MARTYRIBUS IN AGRO AGATHENSI

H. D.

#### COMMENTARIUS PRAEVIOUS

Sancti  
Tiberii  
monasteri-  
rium.

1. Cessero oppidum est Volcarum Tectosagum, in Gallia Narbonensi (1), nunc Saint-Thibéry ad dextram Arauris fluvii ripam (Hérault, arrondissement de Béziers, canton Pézenas), ubi iam saeculo IX invenire monasterium erat S. Tiberio martyri dicatum. In constitutione Ludovici Pii de monasteriorum servitius anno 817 edita, inter monasteria quae nec dona nec militiam dare debent sed solas orationes pro salute imperatoris vel filiorum eius et stabilitate imperii numeraliter monasterium Sancti Tiberii (2); et in epistula quam

pridie obitus sui (10 februarii 821) dictavit Benedictus abbas Anianensis, hanc fratribus commendationem reliquit: Abbatii quoque Modario de monasterio Sancti Tiberii auxilium, in quibus indigerit, ferete, et de his et de aliis veluti in vita mea magis autem post mortem agite meam (3). Anno 870 Bonesindus nuncupatur abbas ex monasterio Sancti Tiberii cui vocabulum est Cesariense monasterium ubi sacrum corpus requiescit (4). Haec certa sunt et antiquissima de celebri quondam

(1) A. HOLDER, *Alt-Celtischer Sprachschatz*, i. v. Cessero; E. THOMAS, *Dictionnaire topographique du département de l'Hérault*, p. 196. —

(2) M.G., Legum sectio II, Capitularia regum francorum, t. I, p. 351. — (3) BHL, 1096, n. 43. — (4) MABILLON, *De re diplomatica*, 2<sup>a</sup> ed., p. 541. *coenobio*